

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

In feria III. pentecostes

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

David talem quæstionem instituit: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo: Aut quis requiescet, in monte sancto tuo? Et respondet sibi ipsi: Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: qui loquitur veritatem in corde suo, Psalm. 15. v. 1. 2. 3.

Quicumque igitur habitaturus est in monte sancto Dei, loquatur veritatem cum proximo suo, Ephes. 4. v. 25. valedicat omni simultati & hypocrisi, & Christus, qui est veritas ipsa, Joh. 14. v. 6. aperiet ei januam ad vitam, ubi cum Domino semper erit, 1. Thess. 4. v. 17. Fiat ita, Amen.

## IN FERIA III. PENTECOSTES.

*Evangelium Joh. 10. v. 1. -- II.*

### EXORDIUM.

**D**E Protoplastis legimus, quod postquam neglecto Dei mandato, de arbore verita comedierint, iustissimus Deus Paradiso eiecerit eosdem, collocaritque ab oriente horti Eden, Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ, Gen. 3. v. 24.

De hæc Paradisi per Cherubim factâ conclusionem, variæ sunt Interpretum opinioniones, inter quas menti Scripturæ quam proximè accedere videntur, Athanasius, Chrysostomus & Hieronymus, aliique eruditi, qui per vocem Cherubim Angelos intellexerunt, & quod Deus viam Paradisi per peculiare Angelos custodierit, crediderunt.

Cherubim verò hic flammeo atque versatili gladio armatus fuit. Ubi iterum Interpretes in diversas abeunt sententias. Lombardus gladio hoc igneam Angelorum custodiam denotari autumat. Munsterus gladium strictum, & flammæ instar coruscantem fuisse, sentit. Lutherus non ferum & enslem propriè dictum, sed speciem

duntaxat, gladii instar, micantem & quasi fulgurantem, habuisse, probabiliter adferit: sicut in festo Pentecostes Apostolorum linguæ tanquam ignis dispersitæ fuerunt, sic & Angelos, ignem de se spirasse, qui in omnia loca se dissipaverit, ut nemini aditus ad Paradisum patuerit.

Quicquid sit, Protoplastos nostros Paradisi exules factos, eumque ita conclusum, ut nullo modo redire in eum illis licuerit, in proptulo est.

Quemadmodum verò hortus Eden, siue Paradisus egregius typus & militantis & triumphantis Ecclesiæ est: Ita etiam custodia Paradisi & Protoplastorum exclusio, imago est ingentis miseræ, in quâ nos posterius Adami omnes naturâ versamur, dum propter inhærens peccatum, cum ex Ecclesiæ, tum ex cæli Paradiso, eiectioni, & postquam Deus igneum suum Zelum, quasi pessulum obdidit exclusi, exclusissimi, & ut Paulus loquitur, alienati à Repub. Israel, spem non habentes, & sine Deo sumus, Eph. 2. v. 12.

In hæc ineffabili miseria hæc temporali-  
nnnn ter,

ter, & ibi in æternum nobis pereundum fuisset; nisi æternus Dei Filius ex indebito amore nostrum misertus esset. Hic sanctissimo merito suo viam ad Paradisum, ob peccata conclusum, vicissim aperuit, nobisque tam ad triumphantem, quam militantem Ecclesiam, & omnia gratiæ & cœlestia bona aditum patefecit, ut jam in, cum eo, & per eum per clausam Sanctuarii portam ingredi, Ezech. 44. v. 2. & cum cœlesti perruptore perumpere, & gradi per portam & egredi per eam queamus, Mich. 2. v. 13.

Ratione hujus apertionis, & introductionis in gratiæ & gloriæ Paradisum, Christus in prælecta Pericope se ostium, & quidem unicum appellat, per quod salvandos ingredi oporteat. Nos juxta methodum nostram videbimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Causelam.

J. J.

### Exegesis.

**Q**uod de Servatore nostro Regius Phonascus Assaph prædixit, quod nimirum aperturus sit in parabolis os suum, Psal. 78. v. 2. id in diebus carnis, tempore sanctissimi Ministerii sui præclare implevit, ut Matthæus testatur, cap. 13. vers. 34. 35.

Ideam parabolarum istiusmodi proponit prælecta Pericope, in qua Doctor eruditæ linguæ, officium & beneficia sua egregiè adumbrat, in parabola de pastore & ovili.

Ubi *Querelam* movet

- I. *Jamua vera neglectum.* Christus dese

ipso testatur, in hodierno Evangelio, quod unicum ostium ovium in ovile Ecclesiæ, & consequenter in vitam æternam sit, per quod unicè salutariter possimus intrare. Verum plurimi hoc ostium negligunt & aspernantur, dum alia ostia fingunt, per quæ intrare satagunt. Nolumus jam illorum, qui extrâ Ecclesiam sunt, & Christum tanquam verum ostium abjiciunt, mentionem facere: sed horum duntaxat, qui Christianam Religionem & Christianos se profitentur. Ex his spernant hoc ostium

1. *Hæretici.* Est quippe per ostium intrare, per Christum ad Ecclesiæ congregationem oviculas sive animas introducere. Christus siquidem solus causa actualis salutis nostræ est, ut in præsentis Evangelio ait: Ego sum ostium ovium: quod alibi sic effert: Ego sum via, & veritas, & vita; nemo venit ad Patrem, nisi per me, Joh. 14. v. 6. Confer Act. 4. v. 12. 1. Cor. 3. v. 11. 1. Tim. 2. v. 5.

Quicumque Pastores igitur Auditores suos ad alios Mediatorese relegant, illi contemnunt unicum & verum ostium, nec per illud ingrediuntur, sed frustra aliud, at prohibitum & fallax ostium quærunt. Fit hoc in Papatu, ubi secundum numerum civitatum, pagorum, delubrorum, sacellorum, & altarium Deos sibi statuerunt, Jer. 2. v. 28. Quotquot igitur ibi Angeli, Arch-Angeli, & sancti demortui invocantur, tot Mediatorese Christo adjunguntur, tot ostia juxta unicum & verum ostium confinguntur. Imprimis vero B. Maria *porta gratiæ & portæ cali* salutatur, Petrus verò *ostiarus cali* constituitur & colitur.

Hæc & alia ab Hæreticis conficta ostia fugiamus, recordantes, quod Christus solus

solus ostium ovium, & porta gratiæ & gloriæ sit, per quam qui intrant, salutem consequuntur: sicut qui hoc ostium spernunt, & aliud quærunt, multiplicant molestos labores suos, Psal. 16. v. 4. & à salute excidunt.

Homo ille detestabilis,

Remotus à salute:

In carne cui solaminis

Spes, non Dei virtute.

Qui namque Numen alterum

Eliget, hoc abjecit,

Hunc Dæmonis mox orphanum

Vis & dolus terrebit.

2. *Doctores ἀλλοτρίοι*. Per ostium intrare, est etiam per ordinariam vocationem Ministerium obire. Hic verò neminem adeò temerarium esse conveniret, ut sine legitima vocatione verbum docere & Sacramenta administrare auderet: Per Christum solum Ecclesiæ ovile intrare, non aliundè, ut fur & latro, licet. Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam & Aaron, Hebr. 5. v. 4. 5.

O quot verum ostium prætereunt, & aliundè in ovile se insinuant. Multos *πολυπραγμοσύνη* agit, ut ad Ministerium verbi contendant, quod tamen ipsis non demandatum, sicut Ozias Rex adulturus incensum, & ob hanc causam leprâ percussus, 2. Chron. 26. v. 16. seqq.

Alii fraudibus aut violentia se ingerunt, uti Pontifices tempore Christi, nec non Bonifacius IIX. de quo Platina, quod intraverit ut vulpes, regnaverit ut Leo, mortuus sit ut Canis. Cujus adhuc hodiè vestigia multi legunt.

Alii in scalâ favoris per ostium affinitatis, cognationis, iustitiæ necessitudinis, aut

alius amicitia introeunt in ovile, aut per funem argenteum se immittunt, ut Simon Magus, Act 8. v. 19. 20. aut alio modo illegitimo se insinuant.

Proinde non modo illi, qui Episcopatum, ut bonum opus desiderant, 1. Tim. 3. v. 1. probe caveant sibi, ne aliunde quam per unicum ostium Christum in ovile intrent: ne seipos tanquam fures & latrones coram Deo & totâ Ecclesiâ pudefaciant, & in numerum Currentium veniant, de quibus Deus ipse conqueritur: Currebant, & non mittebam eos, Jerem. 23. v. 21. Sed & illi qui jus Patronatus sive Episcopale exercent, solliciti sint, ne temerè ex favore vel alio præpostero affectu, manus cuiquam imponant, neque alienis peccatis communicent, 1. Tim. 5. v. 22. ne quis eorum incuria aliunde, quam per unicum ostium Christum, tanquam fur & latro introeat.

II. *Falsorum pastorum dolus noxius*, quo animas ovicularum peremptum eunt. Christus eos in præsentia fures & latrones appellat, inquiens: Qui aliunde ascendit, fur est & latro. Et iterum: Omnes, quotquot ante me venerunt, fures sunt & latrones, hoc est, ut Philippus explicat: qui non venerunt me mittente, seu non ducente me, sine meo Evangelio, & me neglecto. Et iterum: Fur non venit, nisi ut furetur, & mactet & perdat.

In quibus verbis Servator dilucidè indicat, quantam perniciem falsi Doctores & Pastores afferant. Videri quidem volunt oviculis prodesse, sed incommodant illis. Videntur ipsis bonum afferre, & furantur optimum. Videntur ipsis

nnnn 2

patro-

patrocinio esse, & miserè interficiunt illas. Verè ergò fures & latrones sunt.

Fures sunt, quia non per ostium in ovile intrant, sed ut fures facere amant, aliundè adscendunt.

Fures sunt, quia nomina & encomia; quæ bonis duntaxat pastoribus conveniunt furantur, & præter fas & æquum sibi arrogat, cum tamen omine careant. Fures porro sunt, quia panem in peccatis comedunt, piis Ecclesiæ pastoribus bolum è faucibus eripiunt, bona, quæ ad gloriam Dei, ejusque cultum ordinata sunt, fraude & violentiâ ad se rapiunt, privant hæredes genuinos hæreditate, comedunt domus viduarum, orationes longes orantes, Matth. 23. v. 14. Vide Jud. Epist. vers. 12. Ezech. 34. v. 1. seqq.

In specie verò fures sunt, quia ovibus, hoc est, animabus pascua verbi salvifici salutaria subtrahunt, easdemque optimo thesauro, fide & salute privant, quæ sanè furti *ἀρμή* est, nec ab alio fure quodcunque etiam furetur, superari potest.

Non verò saltem fures, sed & sunt

2. *Latrones*. Quemadmodum alias hæc duo vitia cognata sunt, ut historia & experientia ipsa probat: ita etiam in Pseudo-Propheetis hæc duo conveniunt.

Latrones partim idèd sunt, quia sæpè atrocita bella & cædes excitant, partim propterea, quia animas, quas Filius Dei sanguine suo acquisivit, Act. 20. v. 28. crudeliter trucidant, & morti æternæ tradunt. En damnum maximum nullaque ratione unquam resarciendum! Magna quidem jactura est, si quis vitam temporariam amittat: verùm si æterna vita amittitur, maxima meritiò censenda est. Quam enim

dabit homo commutationem pro animâ suâ? Matth. 16. v. 26. Nullâ omninò. Non enim dabit pretium redemptionis animæ suæ, Psal. 49. v. 9.

III. *Hereticorum amplexus*. Christus in hodiernâ Pericope hanc veræ Christicolæ notam facit, quod non sequatur alienum: sed fugiat ab eo. Unde colligere ex adverso est, nullo modò excusari posse, si falsi Doctores adèd non vitentur, ut potius cū iisdem amicè converseris. Hoc verò fit, si ex merâ curiositate conciones heterodoxorum adeas, eorum Ceteroniis delecteris, iisque te conformes. Quâ in parte cum primis illi peccant, qui per Papiisticas Regiones peregrinâtes, idololatriæ cultus participes evadunt, dum omnes eorū Ceteronias superstitiosas, genu flectendo, pectus percutiendo, cruce se signando, aquâ lustrali se conspergendo hypocriticè æmulantur: sed & eò temeritatis deveniunt, ut apud ipsos confiteantur, aut minimum literas confessionales pretio emant, quin & sæpe meretricis Babylonicæ pedes osculentur. Quod quamvis à multis peccatum non habeatur, at tamen si ad hodiernum Evangelium conferas, satis apparet, maximum & enorme peccatum & hypocrisisin esse, quâ Christi interdicitum, quod à furibus & latronibus, aliisque falsis Doctoribus cavere tibi debeas, non modo negligitur: sed & ore & gestibus ille abnegatur, dam falsæ religionis cultor videri gestis. Præterea hoc ipso sanctus Religionis Zelus, omnesque qui hypocrisisin hanc detestantur, despiciuntur, & vilipenduntur, proximus offenditur, pii contristantur, conscientia vulneratur, via ad Apostasiam sternitur, & su-

& super hæc omnia iustissimus Deus ad iustam vindictam promovetur. Quin imò quia ejusmodi homo commercium cum furibus & latronibus habet, faciliè fieri potest, ut ab iisdem spoliatur, interficiatur, & salute animæ privetur. Unde summâ cautione, ne damnum irreparabile contrahas, opus erit.

## De Secundo.

SEquitur *Medela*, quæ fuit

I. *Ex Ecclesia cum ovili comparatione.* Ovile nihil splendoris aut decoris habet: non altis turribus ornatur, non multis conclavibus distinguitur, non vallibus & muris, sed exili sepimento cingitur. Nihilominus ejusmodi pecoribus repletum est, quæ lanâ, lacte, pellibus, intestinis, carne & sanguine hominibus & in morte & in vitâ magnum emolumentum afferunt, quibus etiam propter simplicitatem, probitatem, mansuetudinem, svavitatem & patientiam homo ex animo favet.

Eodem modo comparatum est cum Ecclesia Dei, in his terris, quæ quidem in oculis Dei, & ab intus, plena gloriæ est, Psal. 45. v. 14. exterius verò nullâ pompâ, nullo splendore, nullâ Majestate valet, quale quid in Anti-Christiana Ecclesia vides.

Sicut autem omnis mundi pompa & gloria, in oculis Dei nihil valet; ita etiam externa Ecclesiæ facies, utur vilis & despecta à Deo non attenditur. Est illa ovile, nec amplius quicquam. Sufficit, quod in eâ piæ mentes inveniuntur, qui voci Pastoris Christi obediunt, fide per illum intrant, & caritate ad proximum suum egrediuntur: Vivunt pacificè, sunt in cruce patientes, in spe gaudentes, erga offensores

mansueti, proximo pro omnibus facultatibus utiles.

Quod si exterior pompa, & multitudo Antistitum in mundo quicquam valeret, Pharisei & Pontifices, cum Senioribus & Principibus populi, tempore Christi vera Ecclesia fuissent: Christus verò cum despectis, miseris iisque paucissimis affeclis, ad falsam Ecclesiam referendus esset, qui tamen gloriam veræ Ecclesiæ semper conservavit, & usque ad finem servaturus est.

Nos pompam hujus mundi Anti-Christo, & filius seculi hujus, relinquimus, nec veremur viliores fieri plus, quam facti sumus, 2. Sam. 6. v. 22. nihil dubitantes, quin Christus cornua hædorum, quibus superbiebant, aliquando confracturus, eosdem ab oviculis separaturus, & à sinistris statuturus sit: Ubi contra simplices, probas & patientes oviculas, quæ hic vili hospicio contentæ fuerunt, ex ovili terreno liberaturus, à dextris collocaturus, & in Regnum Patris perducturus est, Matth. 25. 33.

II. *Ex ostii reformatione.* Quemadmodum in ædes nullus ingressus patet, nisi per ostium: ita nulla via, nullus introitus ad Ecclesiam & salutem est, nisi per Christum. Quemadmodum verò ostium occlusum aperiendum est, si per illud transire velis: Ita etiam Ecclesiæ janua referenda est, si ingredi per illam velimus. Hoc verò officium præstat nobis Spiritus sanctus, quem Christus hæc Ostiarium vocat. A nobis ipsis januam non invenire nêdum aperire possumus: non sumus idonei ex propria ratione & virtute, ut in Jesum Christum Dominum nostrum credamus, & ad eum veniamus: Idem fit nobis, quod Sodomis,

mitis, qui cœcitate percussi, ostium Lothi invenire non poterant, Gen. 19. v. 11. ita nec nos ob innatam cœcitatē januam Ecclesiæ & cœli reperire possumus. Sed hîc Spiritus sanctus, sine quo Jesum Dominum non dicere possumus, 1. Cor. 12. v. 3. opem nobis fert, fungitur apud nos officio fidelis ostiarii, ducit nos ad hoc ostium, idemque aperit. Et ne fortè patefacturus ostium impediatur, aperit nobis antè

I. *Portam aurium.* Hanc portam Diabolus pessulo suo munivit, quando hominibus aures obstruxit, ut ad verbum divinum surdescant, aut ad illud audiendum languescant, ut Deus ipse conqueritur, Esa. 30. v. 9. Esa. 42. v. 20. hîc verò Ostiarius Spiritus S. operosus est, qui remoto obice, intet auditum verbi, aures hominum aperit, ut verbum divinum cum devotione & studio audiant. Quod beneficium dudum promisit Esaias, dicens: Et audient in die illâ surdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæterorum videbunt, Esa. 29. v. 18. 19.

2. *Portam Cordis.* Cor hominis naturâ obduratum est, sicut janua incommoda est, si aliquam diu non aperiatur: hîc Ezechiel de domo Israel, & Stephanus de Auditoribus suis queri coguntur, quod rebelles sint, indomabili corde, dura cervice, & incircumcisis cordibus & auribus, qui semper Spiritui sancto resistant, Ezech. 2. v. 5. Act. 7. v. 51.

Spiritus sanctus verò benedictus ille Ostiarius est, qui ostium rubiginosum & asperum cordis humani lapidei reterat, & creat cor mundum, carneum & novum Pl. 51. v. 12. Ez. 36. v. 26. 27. Cujus rei præclara specimina in festo Pentecostes edidit, ubi tria millia una Petri concione con-

versa legimus, Act. 2. v. 41. & in Lydia, Act. 16. v. 24.

3. *Portam voluntatis.* Voluntas hominis post lapsum planè depravata est, ut & renati cum Paulo queri cogantur, Video aliam legem in membris, Rom. 7. v. 24. Hic iterum ostiarius hic voluntatem nostram perversam emendat, eamque Deo gratam facit, Phil. 2. v. 13. Et Sicut Samuel de Saule dicit, quod postquam Spiritus Dei in illum insilerit, mutatus sit in virum alium, 1. Sam. 10. v. 6. Ità Spiritus S. ex incredulo credentem, ex vitioso virtutis amantem, ex terreno cœlestia anhelantem, ex peccatore justum facit, qui delectetur lege Dei secundum interiorem hominē, Rom. 7. 23.

4. *Portam linguæ.* Hæc sæpè intercluditur, ut si homo Deum invocare, celebrare, confiteri, gratias agere, veritatem & meliora quæque de proximo loqui debeat, planè obmutescat: ex adverso verò ad blasphemias, execrationes, juramenta, mendacia & calumnias nimium vocalis sit. Spiritus vero sanctus, tanquam cœlestis ostiarius recludit eam ad verum & salutarem usum, solvit vincula ejus, & aperit labia ut os nostrum annunciet laudem Dei, Pl. 51. 17. dat nobis quid in loco confessionis loquamur, Matt. 10. 17. & prohibet, ne sermo spurcus ex ore nostro procedat, Ephes. 4. v. 29. En Ostiarum gratissimum! Beati, quibus ille ostium pandit, illi per Christum in Ecclesiam, & ex illa in vitam æternam sine dubio introibunt.

III. *Ex beneficiorum Christi participatione.* Quicunque per ostiū hoc intrabunt, erunt

I. *Ab omni periculo immunes.* Janua hunc usum habet, ut illos, qui per eam intrarunt, ab omni violentia tutos præstet, & hostes exclu-

excludat. Cum Noah arcam ingressus esset, & Dominus eum de foris inclusisset, diluvium, quod omnes perimebat, ei damnum inferre non potuit, Genes. 7. v. 26. Similiter cum Angeli ostium clausissent, Lothus extrâ periculum fuit, Gen. 19. v. 11. Sic Christus Jesus spirituale ostium custodiet, contrâ tempestatem iræ divinæ, maledictionem legis, & omnium quæ corporalium, quæ spiritualium hostium impetum: non plaga appropinquabit tabernaculo tuo, Psal. 91. v. 10.

2. *Ingredientes & egredientes.* Ingredimini & egredimini in *vocatione vestra*. Benedicti eritis ingredientes & egredientes, Deut. 28. v. 6. Ingredimini & egredimini in *Christianismo* vestro. Ingreditur (homo Christianus) fide, egreditur operibus, quia fides per opera vivida est. Deindè ingreditur cogitatione, egreditur confessione, quia corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Ingredimini & egredimini in *hora mortis*, nempe è valle hæc lacrymarum in vitam cælestem, ubi omnis miseræ exitus & æternæ gloriæ ingressus & initium erit.

3. *Pascua invenientes.* Hic salutare verbi salvifici pascuum, cibo, potu, vestitu & omni abundantia refertum est: ibi vero pascua Paradisi invenietis, ita ut hic & illic in illo nihil non invenieris: Sicut eritis

4. *Salutem possidentes.* Dicit enim: Per me si quis introierit, salvabitur.

Hinc Ecclesia:

At vos post multa tristia,

Æterna agetis gaudia,

Huc unice anhelandum:

Non ullus est mortalium,  
Qui ponderabit præmium,  
Vobis quod expectandum.

### De Tertio.

**R**estat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Ostium agnosce.* Ego sum ostium, inquit Salvator. Ego & nemo alius. Ego sum ostium, quod ducit ad domum Dei, & omnes thesauros cælestes, tam hic in Regno gratiæ, quàm ibi in Regno gloriæ. Hic nostrum erit, ut per illud decenter ingrediamur. Primus ingressus sit in baptisate; quia verò per peccata sæpè recedimus, & ab ostio aberramus, denuò introeamus, per seriam pœnitentiam, per devotam orationem, & sedulam vestigiorum Christi sequelam: dum ultimus gradus in morte fiat, & cum pio illo Uratislaviensi Pastore Luca Pollione dicamus: Nunc eo in vitam æternam.

Sed accurata cautione opus est, ne propria culpâ januam hanc ipsi intercludamus nobis, sicut Epicurei & præfracti peccatores faciunt: quod si enim hæc janua occlusa est, quomodo in ovile Ecclesiæ & in vitam æternam intrabimus? Nonne idem eveniret nobis, quod fatuis virginibus? Matth. 25. v. 10. & v. 41. 46.

II. *Pastores dignosce.* Pientissimus noster Servator diversa indicia suppeditat, quibus veros animarum Pastores, à Pseudo-Pastoribus dignoscere queamus.

Genuini Doctores & Pastores per ostium in ovile intrant: h. e. gaudent verâ eaque divinâ vocatione, & oviculas suas unice ad Christum, magnum illum ovium Pastorem relegant, qui unicum ostium salu-

salutis est, ut supra indicavimus. Pseudo-Pastores aliunde insinuant se, destituuntur verâ vocatione, astu aut violentia in Ministerium se ingerunt, aut prædicant hominum placita, quibus auditores suos à verâ januâ abducunt. Orthodoxis Pastoribus Ostiarius Spiritus sanctus ostium aperit; heterodoxis non item. Veri Pastores oves suas vocant nominatim, instruunt ignorantés, reprehendunt malitiosos, solantur pœnitentes, confirmant infirmos, monent errantes: Pseudo-Pastores sunt canes muti, non valentes latrare, Esa. 56. v. 10. faciunt mendacium, Jer. 6. v. 13. loquuntur placentia, Esa. 30. v. 10. impios non monent: mœstos verò & contritos sine solatio perire sinunt.

Veri Pastores oviculas suas educunt in pascua virentia Scripturæ, ad limpidos fontes Israelis, & verbum sine humanis ad inventionibus prædicant: tum & ad Sacramenta, quæ juxta Christi institutionem dispensant. Pseudo-Pastores verò easdem à Scriptura abducunt ad hominum traditiones, Pontificis Decreta, Concilia, Patres, nec Sacramenta ritè administrant.

Veri Pastores gregem suum antecedunt, cum saluari doctrinâ, tum sancta vita: falsi Pastores autem falsa doctrina & profana vel hypocritica vita, habentes speciem pietatis, sed virtutem ejus abnegantes, 2. Tim. 3. v. 5.

Has verorum & falsorum Pastorum notas accuratè observemus, & quando ex illis cognoscimus, quod Deus nobis orthodoxos & pios Pastores concesserit, gratias agamus ei, & noverimus eos, qui laborant inter nos, & præsent nobis in Domino, & monent nos: ut habeamus

illos abundantius in caritate, propter opus illorum, pacem habentes cum eis, 1. Theff. 5. v. 12. 13. Qui verò falsorum *επιτήρηται* gerunt, eos caveamus, Math. 7. v. 15. devitemusque scientes, quod subversi sint, Tit. 3. v. 11. 2. Tim. 2. v. 17.

III. *Ab oviculis discite.* Variæ sunt ovium proprietates, ex quibus hæc vice eas saltem attingemus, quarum Evangelium præsens mentio facit. Et quidem

1. *Ovicula libenter in ovili & mandris sunt,* cum aliis ovibus: Ita Christianus libenter in ovili Ecclesiæ, ubi fideles oviculæ in conversatione sancta congregatæ sunt, esse debet, ut cum Davide dicere possit: O divi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebam, Psal. 26. v. 5. 6. 7.

2. *Oves vocem Pastoris sui agnoscunt,* alienorum verò vocem non noverunt. Sic verus Christianus vocem Christi tanquam Archi-Episcopi agnoscat, sicut eam quotidie in verbo suo & ex ore Vice-Pastorum proponit, eamque amat. Hæc vox Dilecti mei! ait fidelis ovicula, quotiescunque vel admonitionem, vel doctrinam, vel consolationem ex verbo Dei audit, Cant. 2. v. 8. & hoc *τηκηθίζω* ipse Servator ovicularum suarum facit, Joh. 10. v. 27. Joh. 8. v. 51. E contrario verò vocem alienam heterodoxorum, & Pseudo-Prophetarum fugiat, nec blandis eorum verborum lenociniis, à semel agnitâ veritate se abduci sinat. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis, 2. Joh. 10.

3. *Oves pastorem suum sequuntur,* alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo. Hoc ipsum fidelis Christi ovicula notet, ut non modò *Ἀρχιεπιστολὴν* Christum Jesum sequa-

sequatur, verbo & vestigijs ejusdem instat, seque neque divitijs & opibus, fraude vel violentia, hæresi vel tyrannide, damno vel compendio averti patiatur: Sed Sub-Pastoribus quoque, quos Christus ipse proposuit, obtemperet, ad eorumque nutum se componat, juxta illud: Obedite præpositis vestris, & parete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non ex-

pedit vobis, Hebr. 13. v. 16. 17. Quò & ipse aliquando hos pastores suos, præpripmis veid Archi-Episcopum Christum Jesum, sive in horâ mortis, sive die extremo, ubi universalis ille mundi judex oviculas à dextris suis sistet, eos anteceder, comitabitur & ducet, sequatur in vitam æternam, quam in sincerâ fide, & immotâ spe exspectamus, à Domino nostro  
JESU CHRISTO,  
Amen,

IN DIE FESTO JOHANNIS BAPTISTÆ.

Evangeliu[m] Luc. 1. v. 57. -- 80.

EXORDIUM.

**I**N V. T. celebris fuit Elias, non modò ob vitæ austeritatem, siquidem Zonâ pelliceâ velut cilicio ad renes accinctus fuit, 2. Reg. 1. v. 8. & à corvis partus in deserto non nisi frigidam de flumine Crith bibit, 1. Reg. 17. v. 4. seqq. Sed & propter Zeli pietatem, quo cultum divinum instauravit, & peccata in magnis & parvis ira arguit, ut neque Achabò & conjugij ejus pepercerit, 1. Reg. 18. & 19.

Johannes Baptista, Dilecti! cujus memotiam Ecclesia N. T. hodiè celebrat, Eliæ non dissimilis est, de quo Christus ipse vaticinium Malachiæ c. 4. v. 5. interpretatur, Matth. 17. v. 10. Discipulis enim interrogantibus Christum: annon Heliam oporteat venire, ante finem seculi, ut Scribæ dixerant: respondit Servator: Helias jam venit, & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo, quæcunque voluerunt,

Tunc, ait Evangelista, intellexerunt discipuli, quia de Johanne Baptista dixisset eis, v. 13. Similiter Christus dilucidè affirmat, Johannem Heliam esse, intellige, juxta Spiritum & virtutem Helix, Matth. 11. v. 14. Luc. 1. v. 17.

Elias fuit Propheta, qui surrexit, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat, Eccl. 48. v. 1. Johannes Baptista plus quàm Propheta est, Matth. 11. v. 9. quia non de longinquo, Christum pòst aliquot secula venturum prophetavit, ut reliqui Propheta, sed præsentem ut Agnum Dei digito monstravit, Joh. 1. v. 29.

Elias erat Zelotes, siquidem ipse ait, se zelo zelatum esse, pro Domino exercitu, 1. Reg. 19. v. 10. Mactavit Sacerdotes Baal, & Regi Achab in faciem dixit: Tu turbasti Israel, & domus patris tui, 1. Reg. 18. 18. Pari zelo Baptista Phariseos vocat geni-

o o o o      mina